

V c  
3399









SOTERIA

ERENISSIMO SAXONUM DUCI  
SACRIQUE ROMANI IMPERII ELE-

Q. R. 31, 20. CTORI SEPTEMVIRO

DN. JOHANNI GEORGIO

&c.

*Quum divinâ virtute felicitateq, admirabili  
utramq, Silesiam Lusatiamq, & pacasset  
& CÆSARI restituisset,*

ab

ACADEMIA WITTENBERGENSI

KAL. JANUAR. ANNI ∞ 1622.

PERSOLUTA.



WITTENBERGÆ, Sumtibus PAULI HELWIGII  
excudebat CHRISTIANUS THAM.

Vc

3399

I, 312





Serenissimo. ac potentissimo. Principi

JOHANNI GEORGIO

D. G. S. S. S.

SAXONIAE, JULIAE CLIVIAE AC  
MONTUM DUCI: S. ROMANI IMPE-  
RII PR. TOR. PRAEFECTO ET ELECTORI:  
LANDT RAVIO THURINGIAE, MARCHIO-  
NI MISN., BURGGRAVIO MAGDEBURGENSI:  
COMITI IN MARCA ET RAVENSBURG, DO-  
MINO IN RAVENSTEIN &c.

PIO, FELICI, MAGNANIMO,  
PATRI PATRIAE,

ACADEMIA WITTENBERGENSIS

SERENITATI AC CELSITUDINI EJUS  
DEVOTA

D. D. D.

NON est, ELECTOR SERENISSI-  
ME, quod eorum gloriae invi-  
deas, qui in eburneum sublimati  
folium & candentium equorum  
laureatis quadrigis conspicui,  
longos ante se squalentium mise-  
rorum agunt greges: qui devicta-  
rum

BIBLIOTHECA  
PUNICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SALE)





rum gentium titulos, & exci-  
rum simulacra urbium superbâ  
pompâ ostentant. Tua trium-  
phis omnibus major laus est, qui  
non sævire ac perdere, sed succur-  
rere atque juvare instituisti. Non  
arma detracta hostibus, non cur-  
rus cæforum cruenti sanguine:  
hæc divina potentia est servare  
publicè ac prodesse. Quare quum  
EPINICIA aliis alii; nos SOTERIA  
deberit tibi existimavimus PATRIÆ  
SERVATORI. Quæ quia in lectis  
taurorum paribus, aut egregiâ o-  
vium subole, vel auro templis de-  
dicato non possumus; chartâ lite-  
ratâ & innocentium studiorum

);( 2

mu-



muneribus imus persolutū. Quod  
si superbus ille, & non nisi maxi-  
ma cupiens Rex haustā de flumi-  
ne & vicem oblatā muneris aquā  
mirificè delectatus est; Tua Maje-  
stas quoque, quæ suā fortunā con-  
tenta est, non aspernabitur tenu-  
es hæc de Musarum, ut sic loqua-  
mur, fontibus libatas guttas. Age  
igitur **SERENISSIME DOMINE**, ac  
clementi, hoc est tuo vultu, quo  
tot afflictissimas provincias sub-  
itò exhilarasti, hoc quicquid est  
accipe. Nos si quid hic dedimus,  
quod legendum non sit; dabimus  
tamen operam ut instruamus, qui  
legantur. Quod restat æternum

Nu-



Numen purâ mente obsecramus,  
ut omnia quæ facis, quæque faci-  
es, prosperè cedant, TIBI, REIPUB.  
NOBIS: vel, ut brevius voveamus,  
UT UNI TIBI, IN QUO ET RES-  
PUB. ET NOS SUMUS.



A 3 RECTOR



RECTOR ET CONSILIUM PU-  
BLICUM ACADEMIÆ WITTE-  
BERGENSIS

Civibus literatis salutem & felicissimum novi  
anni auspiciam.

**Q**uantis difficultatibus quantisque periculis superioribus annis expo-  
siti fuimus atque obnoxii, non opus est speciatim referre. Per se  
satis vivax est calamitatum recordatio. Et videremur certe  
aliorum vulnerum cicatrices imprudenti manu resfricare voluisse. Fer-  
vebant bellis circum circa omnia, quæ eò crudelius gerebantur, quòd  
civilia essent. Nullus modus rapinis, caedibus, stupris atque incendiis. Ju-  
ramenta et fœdera palam tudebantur. Ipsam illam imperii majestatem,  
et Sacrosanctum Caesaris nomen quotus quisque curabat? Ponebantur in  
armis omnia, et illud pium justumque censebatur, quod gladius poterat  
impetrare. Ad interitum non tam vergebant res patriæ, quàm rues-  
bant; et videbantur adversa fatorum non expectari, sed urgeri aperte  
atque lacesti. Quibus jam dudum succubisset imperii moles, nisi aeterni Nu-  
minis providentia Serenissimum Principem nostrum in hac tempora re-  
servare voluisset. Hic enim ille est, qui tanta malorum undique ingruen-  
tium tempestate occurrere ausus, tanquam salutare Castorum sidus peri-  
clitanti adfulsit patriæ, et tot procellis quassam Reip. navem singulari  
fortitudinis ac prudentiæ exemplo servavit atque restituit. Hic est qui  
sua sceptrâ Regibus, subditos dominis, utrisque pacem atque securitatem,  
et reddidit et confirmavit. Illius munere presse hætenus attollunt le-  
ges capita, jura respirant, ipsa imperii senectus, velut reddita juventu-  
te, revirescit: quodque omnium maximum et augustissimum est, verus Dei  
cultus, et orthodoxa religio liberalissimis asserta vindiciis inque tuto jam  
collocata videtur esse. Quæ quidem eò illustriora reputanda sunt, quòd  
non tam armis ac viribus, quàm prudentiâ ac pietate vidimus confecta.  
Eant nunc et gloriantur alii, si fusorum cadaveribus latepatentes opple-  
rint agros, si occisorum sanguine etiam ingentia flumina decolorarint.  
Nostri Principis gloria tantò major existimanda est, quanto melius ser-  
vare, quàm occidere; prodesse, quàm nocere. Ita enim amor animis,  
ita



ita fides & reverentia ingenerantur. *Malus diuturnitatis cu-  
securum satis & tutum esse nunquam potest.* Malus diuturnitatis cu-  
stos metus est: contra benevolentia fidelis est vel ad perpetuita-  
tem. Quod si veteres olim, Græci atq; Romani, profligatis bellis libe-  
rataq; ab ingruentis metu periculi patria, vota & sacrificia publica Diis  
solvere; eos verò, quorum auspiciis atq; virtute illud gestum, nullo non  
honoris genere prosequi fuerunt soliti: quanto magis nos id facere conve-  
nit? Nam quamquam nullus honor, nullæ inveniri laudes poterunt, quæ,  
non dicemus ad ineffabilem summi Numinis bonitatem, sed solius Prin-  
cipis nostri merita valeant adspirare; tamen non idcirco sedendum no-  
bis, & admirabilis ejus virtus prorsus inhonorata relinquenda est. In-  
magnis, ipse conatus laudabilis est; & sæpius sufficit, saltem voluisse. Ne-  
mini fraudi fuit Deum colere, quoquo modo posset. Res viles non ra-  
ro templis dedicate à consecrantis animo pretium sumserunt. Nec re-  
ctè enim videtur æstimare munera, qui magnitudine, non dantis meti-  
tur voluntate. His igitur fretirationibus, & officio & pietati nostræ  
convenire putavimus, si hunc ipsius diem honori Principis optimi maxi-  
mi consecrarem. Ita quidem ut ad horam II. postea (QUOD FE-  
LIX FAUSTUM QUÆSIT,) in templo arcis à Reverendo Anti-  
stite FRIDERICO BALDUINO SS. Theol. D. & Professore  
Publ. haberetur oratio, quæ tum Dei Opt. Max. tum Sereniss. Princi-  
pis nostri beneficia, partim in patriam suavissimam, partim in vicinas  
& nobiscum iterum communi omnium applausu conjunctas terras collata  
perstringerentur, illiq; postea ab AUGUSTO BUCHNERO  
Poet. Prof. Publ. Carmen panegyricum devotum virtuti maximi Prin-  
cipis velut succineretur. Dicat fortasse aliquis: rectè hæc quidem &  
benè: at qui maturius fieri oportuit. Namque inepta quodammodo sera  
gratulatio, & remissior affectus videtur, qui non vota sua præcurrat.  
Quasi verò præscribi tempore augustissimi Principis laudes possint, nec  
semper celebrari mereatur ejus virtus, cujus beneficia in dies, imò in-  
horas experimur. Sed nec magnum satis videtur gaudium, quod sta-  
tim ac mente concipitur, expromi potest. Ceterum conscientia nostra  
nobis testis est, hoc potissimum tempus, tanquam maximè aptum huic in-  
stituto, jam olim selectum nobis fuisse & præstinatum. Ad finem per-  
ductus



ubi hinc annus est, et annus novus procurrere jam incipit. Igitur quem  
admodum se jam offert occasio, decursi anni vel recolendi miseras, vel  
admirandi felicitatem; ita nunc maxime locus est supplicibus votis de-  
venerari Deum, ut et hunc et ordine sequuturos annos faustos atque  
felices nobis sinat decurrere, et vetera gaudia, recentis letitiae prospe-  
ritate superari. Ac si Rome olim auspiciatore anni die nova à novis  
Consulibus laurea Jano, qui pacis bellique custos credebatur, boni ominis  
caussa suspendebatur: cur non et nos quoque omnium rerum governa-  
tori Deo, profligatis tristissimis bellis, contra dulcissimo pacis nomine  
restituto, laudum ac gratiarum, ut sic dicamus, coronam eamus con-  
secratum? Præterea si solennes strenæ, quæ hoc temporis mitti assolent,  
viris strenuis, quod et origo et nomen indicat, proprie conveniunt: sa-  
nè illæ Principi nostro, tanquam strenuissimo salutis publicæ defensori,  
iure meritoque debebantur. Quas quia in auro et gemmis dare opis no-  
stræ non est, præconio meritorum ejus persolvere sufficiat. Vos quicum-  
que non alieni à literarum studiis, et Academiæ hujus vel fuistis Cives  
olim, vel adhuc estis, non obscure ostendetis pietatem vestram, si fre-  
quentes isti nostræ panegyri interesse, ac ea, quæ dicentur, tum ausculta-  
tione diligenti, tum piis votis et interiore animi letitiâ prosequi volue-  
ritis. Quod ut faciatis alios rogamus, alios monemus et adhortamur.  
P P. Kalendis Januariis, memoria circumcissionis Dominicæ dedicatis,  
anno reparatæ gratiæ ∞ Ioc XXII.

ORA-



ORATIO  
PANEGYRICA  
IN LAUDEM  
DEI OMNIPOTENTIS,  
ET HONOREM

SERENISSIMI CELSISSIMIQUE PRINCI-  
PIS AC DOMINI,

DOMINI JOHANNIS GEORGII,  
SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM  
DUCIS, S. R. I. ARCHIMARESCALLI ET ELE-  
CTORIS, LANDGRAVII THURINGIÆ, MARCHIONIS  
MISNIÆ, BURGGRAVII MAGDEBURGENSIS, COMITIS  
DE MARCA ET RAVENSPERG, DOMINI IN  
RAVENSTEIN &c.

DOMINI NOSTRI CLEMEN-  
TISSIMI,

HABITA WITTEBERGÆ IN TEMPLO ARCIS  
CALENDIS JANUARIIS clj ljc XXII.

A

*Friderico Balduino D.*



ORATIO  
PANEGYRICA

IN HONOREM  
S. MARTINI



DEI OMNIPOTENTIS

SERENISSIMI

DOMINI

SAXONIAE

DUCCIS, S. R. I.

CTORIS, LAND

MISIAE, BURG

GRAE, DE MARCA

ET

US HABITA WIL

DE

CA

CA

CA

CA

CA

CA

CA

CA

CA

CA

CA

CA


CA

CA

CA

CA





# ORATIO PANEGY- RICA.



Uæ à Deo immortalis  
superiore anno precati sumus, *Audi-  
tores*, piorum omnium votis digna  
sunt singula, maximæ verò utilitatis  
universa. Optavimus Ecclesiæ sa-  
lutem, Reipub. tranquillitatem, Se-  
renissimo Electori nostro vitam lon-  
gævam, senatum fidelem, populum probum, consilia  
salutaria, felices successus, & quæcunq; boni Principis vo-  
ta sunt: quæ omnia nos tanto cum cumulo, qui etiam ad  
exteras oras jam diffunditur, impetrasse, hodierno die  
grati agnoscimus, & liberaliter profiteamur. Floret apud  
nos Ecclesia, salva est Respub., vivit Elector, & si ullo un-  
quam vitæ suæ tempore, jam certè immortalis nominis sui  
cum gloriâ triumphat. O nos felices! quibus tam auspi-  
catum anni novi datur exordium: quod multis hac tem-  
pestate denegatum est, quorum templa, domusq; per vim  
hostilem diruta, Doctores unà cum Magistratu ejecti  
sunt; in reliqua plebe error ac stultitia si dolor essent,  
omnium aures ejulatu personarent. Nos verò faventio-  
ribus oculis divina bonitas aspexit: patuerunt nobis atria  
B 2 Dei,



Dei, vidimus, quàm pulchri fuerint pedes Evangelizan-  
tium pacem, annunciantium bona: veritas de terrâ orta  
nobis est, justitia de coelo prospexit. — Omnia hæc Paci  
tribuimus, aureæ paci, quæ

*optima rerum,*

*sil. lib. ii.*

*Quas homini novisse datum est: quæ sola triumphis  
Innumeris potior: quæ custodire salutem,*

*Et cives æquare potens.*

*Ps. 147, 13.*

Omnia ergò Dei beneficia, quibus has, & vicinas aliquas  
provincias nobilitavit, dixero, si pacem dixero. Quo  
nomine DEO pacis sit honor, Principi pacis sit gloria,  
Spiritu pacis sit laus & benedictio: Sacrosanctæ Triadi  
uni DEO autori & conservatori pacis, sit virtus ac imperi-  
um seculis nunquam terminandis. O Domine DEUS  
noster, optavimus, ut tu loquereris pacem plebi tuæ, &  
sanctis tuis; & ecce! locutus es nobis pacifica in medio  
strepitu belli, confortasti seras portarum nostrarum, & po-  
suisti fines nostros pacem: idq; per electum tuum orga-  
num, unctum tuum *Serenissm. Principem ac Dominum,  
Dominum JOHAN-GEORGUM, Saxonie, Julie, Clivie,  
Montium Ducem S. R. I. Archimarschallum & Electorem,  
Dominum nostrum clementissimam*, cujus Tu excitasti Spi-  
ritum, quem induisti fortitudine ac sapientiâ, ut consilia  
pacis præclarè cogitaret, cogitata masculè perficeret, per-  
fecta in salutem patriæ utiliter conferret: qui corda filio-  
rum ad patrem, & cor patris ad filios flexit, qui, cum re-  
media mitiora locum non invenirent, unius tantum opi-  
di cum detrimento utrumq; Marchionatum Lusatia; sed

*hinc*



sine ullâ cæde, ulloq; sanguine utrumq; Ducatum Silesiæ, hoc est, quatuordecim florentissimos principatus, cum quatuor liberis Dynastiis, à metu belli, à timore devastationis, rapinarum, incendiolorum, & quod familiam ducit, à periculo religionis purioris liberavit. Domine Deus virtutum, quàm admirabile est nomen tuum, in universâ terrâ! Hoc est opus dexteræ Excelsi, quod admiratur cor nostrum, suspiciunt oculi, prædicant labia nostra, jam vertente anno, cujus hæc prima dies, sit nobis dies boni nuncii, si tacuerimus opera Domini, & annunciare noluerimus, sceleris arguemur. Romani ignorantia tenebris adhuc involuti primum diem anni præ cæteris solennem habuerunt, ignem novum in penetralibus Vestæ accenderunt, lauro novâ aram deæ & regis sui coronarunt, & pro felici anni novi decursu Annæ Perennæ supplicarunt, novum quoq; magistratum solenniter introduxerunt. Ita enim elegantissimus Poëta canit de principio novi anni:

*Cernis, odoratis ut luceat ignibus æther?*

*Et sonet accensis spica Cilissa focus?*

*Flamma nitore suo templorum verberat aurum,*

*Et tremulum summâ spargit in æde jubar.*

*Vestibus intactis Tarpejas itur in arces,*

*Et populus festo concolor ipse suo est.*

*Iamq; novi præeunt fascēs: nova purpura fulget;*

*Et nova conspicuum pondera sentit ebur.*

Sed nihil nobis cum gentilium moribus: nihil eū diis alienis: Nos hodierno die thura precum adolemus Domino Deo nostro, qui facit mirabilia solus, quæ propter innumera

Reg. 7. 9.

Maer. lib. 1.

Saturn.

cap. 12.

Ovid. lib.

1. Fast.



Sueton. in  
Caligula.  
c. 42.

Sueton. in  
Vespas. cap.  
19.

beneficia optimum, propter vim ac potestatem summam maximum nominamus; cuius opera misericordiae, quibus anno jam praeterito inter tot belli rumores exhilaravit animas nostras, grato pectore celebramus. Laurum & olivam offerimus uncto ejus, *Electori nostro clementissimo*, qui cum armis & consiliis instructissimus esset, utrobiq; se probavit fortunatissimum. Caesarem Caligulam edixisse refert Suetonius, se, incunte anno strenas recepturum, ideò stetit in vestibulo aedium, Calend. Januar. ad captandas stipes, quas plenis ante eum manibus, ac sinu, omnis generis turba fundebat. Serenissimus noster Elector hoc nec edixit, nec facere consuevit, sed potius, si ita usus fert, pro sua munificentia cum Vespasiano Imperatore apophoreta dare potest suis; nostrum autem est strenae loco animum *offerre* gratum, beneficiorumq; memorem, quae Deus per hoc electum suum organum & nostris & vicinis regionibus anno jam praeterito exhibuit.

Verum, dum hanc ob causam in locum hunc religionis plenum confluximus, fieri fortè posset, ut non nemo reperiat, qui nos vel triumphum ante victoriam canere, vel Electorem nostrum Sereniss. causae non satis bonae favere, ac proinde nos intempestivo officio oleum operamq; perdere arbitretur. Quorum illos recordari velim, quod Poëta dixit:

— — — *careat successibus opto,*

*Quisquis ab eventu facta probanda putat.*

Multa enim pie, rectè & ordine fiunt, quae tamen non semper eventum usq; adeò prosperum consequuntur:

nam



ORATIO PANEGYRICA.

nam in maximis iisq; justissimis negotiis sæpè parvæ inclinatione totam rei molem evertunt. Eventus in manibus Domini est; qui arenam posuit terminum mari, is & hostium furori fixit limites, quos transgredi non possunt. Beati omnes, qui confidunt in eo. Hi verò cogitent, quòd causæ minus justæ favere non possit, qui pro autoritate summi magistratus bella non continuat, sed minuit; non oleum camino addit, sed incendium restinguit; non Martis & Bellonæ, sed almæ Pacis causam agit; non privatum aliquod commodum, sed communem Reipub. Christianæ tranquillitatem, etiam cum insigni commo-  
dorum suorum jacturâ, quærit.

Agite ergò, Auditores; sentiat quod quisq; volet, nos, quòd pietas in Deum & Magistratum exigit, quod publica almæ pacis commoda postulant, *Soteria* nostra per solvamus Deo præpotenti, & *Eucharistia* clementissimo Magistratui, consideraturi sub his auspiciis anni ineuntis, quantis beneficiis benignissimus Deus pro immensâ suâ misericordiâ, & has, & alias vicinas provincias, per Serenissimum Electorem Saxonæ, Dominum nostrum clementissimum, anno superiore bearit; quæ sanè per status omnes in vitâ communi ita se diffundunt, ut coecus sit, qui ea agnoscere; ingratus, qui prædicare nolit. De quibus dum verba facio, à vobis omnibus, Rector Magnifice, Nobilissime Domine Capitaneæ, Judici Provincialis Præses eminentissime, Vosq; omnium ordinum ac facultatum Viri Reverendi, Consultissimi, Clarissimi, Prudentissimi, Patres Amplissimi, Tuq; sele-  
ctis-



ORATIO PANEGYRICA.

Etissima studiosæ juventutis corona: à vobis, inquam, omnibus ac singulis reverenter & officiosè peto, ut, quia nec ingenio, nec usu in dicendo quidquam possum, in hac communi causâ benevolentia vestra infantiam meam sublevetis.

Sueton. in  
Aug. cap.  
22. Oros.  
lib. 6. cap.  
ult.

De Octavio Augusto Imperatore aliàs non infelici referunt historici, quod inauspicatum Imperii sui initium habuerit. Nam usq; ad vigesimum octavum Imperii sui annum varia terrâ mariq; cum diversis populis prælia gessit, postea verò, partim propria fortitudine, partim amicorum operâ & consilio Imperio pacem restituit, adeò, ut templum Jani Quirini, quod non, nisi pacis tempore, claudebatur, ab eo tempore in annum usq; duodecimum, h. e. ad annum Imperii sui quadragesimum primum, quo Dominus Jesus Salvator mundi natus est, clausum maneret.

Judic. 9.

Imperatoris nostri augustissimi FERDINANDI II. imperium minus auspicatum fecere motus Bohemici, qui illud tempore non satis oportuno exceperunt, cum DEUS Spiritum pessimum mitteret, ut Scriptura loquitur, inter magistratum atq; subditos; unde bellum exarsit satis funestum, quod jam in annum quasi quartum miserabili incendio, & regionum, & virorum florem absorbit: in quo bello nobis experiri contigit, quod Chrysostomus in Matth. scripsit: *Quemadmodum, certantibus ventis, mare concutitur: sic, regibus sibi adversantibus, populus regni vexatur.* O quot interim suspiria, quot gemitus piorum pulsavere coelum, ut DEUS virtutum excitaret Heroem aliquem, qui non tam armis, quàm  
confi-



ORATIO PANEGYRICA.

consiliis motus istos compesceret, & miserè conquassatos  
 Romani Imperii parietes è ruinis suis resuscitaret! Quam  
 ad rem non Margites quispiam, qui vix tria vel quinque nu-  
 merare posset; non qui inertia torperet; aut otio diffue-  
 ret, requirebatur: sed vir, qui scientiâ & rerum usu in-  
 structissimus esset, in negotiis maximè laboriosus, in pe-  
 riculis fortissimus, in aggrediendis rebus industrius, in  
 providendis sagacissimus, in conficiendis deniq; celerri-  
 mus. Hujusmodi virum, ut afflictæ Reipub. sospitato-  
 rem, multi boni hæctenus desiderarunt, multi etiam nun-  
 cupatis votis divinitus expetierunt. Et ecce! DEUS mi-  
 sericordiarum ille Pater benignissimus, vota suorum au-  
 diit, & veluti Cyrum quondam cum Babylonicam capti-  
 vitatem soluturus esset; Ita Serenissimum Electorem ac Esa. 44.  
Et 45.  
 Dominum nostrum, Dominum JOHAN-GEORGIUM  
 dexterâ apprehendit, ut subjiceret ante faciem ejus gen-  
 tes, & aperiret coram eo januas, cui dixit: Pastor meus es  
 tu, & omnem voluntatem meam implebis: qui dixit  
 Germaniæ, ædificaberis; & Ecclesiæ, fundaberis. In-  
 quem finem replevit cor ejus scientiâ, dexteram fortitu-  
 dine, & voluntatem ejus omnem eò inclinavit, ut Im-  
 peratori majestas, Reipublicæ tranquillitas, Ecclesiæ sa-  
 lus, subditis pax & incolumitas; omnes deniq;, quos hæ-  
 ctenus his in oris truculentissima illa Martis facies detur-  
 paverat, pristino suo nitore restituerentur. Pium sanè & lau-  
 dabile institutum, quod non, nisi Momus, reprehenderit:  
 felix & animosum facinus, quod non, nisi Livor, impro-  
 baverit. Cum autem omnem belli molem in se solum de-  
 vol-

C

vol-



ORATIO PANEGYRICA.

volvere non posset, vicinæ Lusatiaë & Silesiaë in primis ita prospicere laboravit, ut nobilissima hæ provincia quam ocyssimè hoc belli onere, quoad ejus fieri posset, sine cæde ac sanguine exonerarentur. Quo quidem in genere nihil à pietate, nihil ab humanitate, nihil ab officio suo alienum fecit. Nam Cæsari in re justâ succurrere, officii Electoralis erat, subditos cum summo magistratu conciliare, pietatis, in his omnibus autem vicinorum potissimum rationem habere, humanitatis. Et quia consilium hoc erat à Domino, non potuit felici carere successu, qui jam Dei beneficio, in oculis est omnium rectè sentientiū. Nam omnes istæ provinciaë, cum Principatibus & Dynastiis suis Electorem, ut Commissarium Cæsareum haud inviti admiserunt, consiliis ejus suffragia sua addiderunt, & obligationē pristinam Imperatori à se legitimè electo & approbato magnâ cum alacritate renovarunt. Ita enim testantur, qui actioni interfuerunt; ita etiam habuit formula publicarum precum, quibus pro harum rerum successu Deo præpotenti non ita pridem publicas egimus gratias. Et cur non gratias ageremus publicas? Cum Judæi ad intercessionem Estheræ libertatem religionis recuperassent, ut in centum viginti provinciis regis Asveri haberent pacem, & susciperent veritatem; instituerunt dies solennes, quos dies Purim nominabant, quos cum gaudio transegerunt, gratias agentes Deo, qui salvum fecerit populum suum. O mei Silesii, ô mei Lusatii, optimæ terræ inquilini! si vel quotidie humi prostrati erectis palmis Domino Deo vestro sacrificia labiorum offerretis, si Electoris nostri laudatissimi nomen

-lov

aure-



ORATIO PANEGYRICA.

aureis literis in triumpho circumferretis, si immortales utriusq; *εὐεργέτας* debitores vos agnosceretis, nihil sanè, quòd non & pietas vestra & æquitas ipsa à vobis postularet, faceretis. Nam expendite, quæso, quanta vobis jam appareat libertas, quantus concurrat beneficiorū cumulus, quo vos hoc anno præterito dextera Altissimi per electū vas suum Electorem Saxonie tantum non adobruit. Nam siue religionem videas, quâ nihil est sanctius, siue magistratus & subditorum conjunctionem, qua nihil optabilius, siue regionis incolumitatem, qua nihil est utilius, siue etiam cum vicinis concordiam, qua nihil est jucundius: de singulis sanè per Electoris Saxonie pietatem & industriam ita vobis prospexit divina providentia, ut gaudere jam queatis de universis. Religionis cura omnibus hominibus naturalis est. Nam, ut Plinius inquit, religione vita constat: cumq; singulas generis humani dotes secundum quandam similitudinem in bestiis videamus, solius religionis ne quidem umbra apparet. Usq; adeò propria nobis est mentis in Deum coeli regem erectio, sicut corporis in coelū: cultusq; divinus ita fermè hominib; naturalis, quemadmodū equis hinnitus, canibusq; latratus. Magnum non saltē ornamentum, sed & commodum Reip. sincerus Dei cultus est; nā quod Ethnicus etiam agnovit, omnia prosperè eveniunt sequentibus Deum, adversa spernentibus. Abundans est pauperi religio, mediocri sufficiens, tolerabilis diviti, infirmis larga, delicatis cōpatiens, fortiorib; moderata, pœnitentibus misericors, perversis severa, bonis optima: hæc sunt beneficia religionis, inquit Hugo: quæ omnia simul

Lib. 14.  
nat. hist.

Marsil. Fic.  
cin. de relig. Christ.  
c. 1.

Liv. lib. 15.

Hugo de claustr. anime  
lib. 5.

ta  
e-  
i-  
e-  
o-  
e-  
o-  
tà  
e-  
es  
o-  
nt,  
ri-  
a-  
ti-  
n-  
n-  
ra-  
m-  
e-  
im  
a-  
Si-  
diè  
cia  
en  
re-

DEI





in verbum DEI redundant, quod religionis sinceræ fun-  
 damentum est, super quo semper ita decertarunt sapien-  
 tes, ut vitæ fortunarumq; cum periculo verbi divini puri-  
 tatem redimerent: quemadmodum Judæi, cum gladi-  
 um ad occisionem, canes ad lacerandum, bestias terræ  
 ad devorationem, eis minaretur Dominus, rogarunt per  
 Prophetam Jeremiam tantum conservationem verbi sui,  
 quod sit gaudium & lætitia cordium suorum. Cogita-  
 te verò, Auditores, quanto cum periculo, quin & di-  
 spendio religionis sinceræ multi hæctenus ad pristinum  
 Imperatoris Romani obsequium fuerint compulsi, dum  
 permittente Domino DEO nostro, in tales inciderunt  
 conciliatores, qui veluti, non dicam regionum dunta-  
 xat, sed & religionis & conscientiarum domini multis in-  
 tolerabile jugum attraxerunt. Intuemini, ô mei Silesii,  
 Bohemiam, Moraviam, Austriam, videte utrumq; Pa-  
 latinatum, quàm multa sunt ibi templa, quæ antea non-  
 dum visa idololatricæ missæ sacra, jam viderunt; & non  
 auditos unquam impuros sacrificulorum boatus, jam au-  
 diverunt? Hic nimirum belli fructus est, quod non tan-  
 tum regna populosq; devastat, sed & religioni vim infert.  
 Sed nihil horum passi vos estis, qui, dum pacis consilia  
 sequi, quàm bello rem experiri maluistis, religionis florem  
 intemeratum retinuistis. Nihil innovatum est in templis  
 vestris, nihil in cultu publico, nihil in privatis fidei exer-  
 citiis: confirmata potius sunt pacta religionis, Cæsareâq;  
 fide, quæ meritò à suspitione omni immunis esse debebat,  
 ita roborata, ut unusquisq; cultui divino, qui ex solo  
 DEI



ORATIO PANEGYRICA

DEI verbo dependet, sine metu & impedimento ullo vacare possit. Unde verò vobis tanta est felicitas? nimirum, conciliatorem vobis dedit DEUS, qui Religionis vestrae socius est, quam non tantum ab Illustrissimis illis domus Saxonicae heroibus, hereditario jure, ut praestantissimum depositum, de manu in manum accepit, verum etiam à primis incunabulis cū primo lacte nutricis hausit, imbibit, & ut ita dicam, in succum sanguinemq; convertit: qui ab electiis hominum cultibus alienissimus, blasphemis Antichristiani regni sacris, si quisquam alius, vel maximè infensus, solius verbi divini amantissimus, invariatae Confessionis Augustanae adsertor constantissimus, Electorem dico Saxoniae, qui commissionis suae primum finem habuit, ut dentur Caesari, quae sunt Caesaris, & DEO, quae sunt DEI; ideò neq; alià conditione Caesari majestatem restituere allaboravit, quam ut simul DEO suus in Ecclesià honos, verbiq; divini puritas, conservaretur. Quis nunc, ô vos mei, felicitatem vestram, quâ vos, praë vicinis vestris, divina beavit benignitas, satis depraedicaret? Pro aris & focis olim pugnare dicebantur, qui integritatem religionis, & salutem patriae armis defendebant: at vobis non opus erat armis ullis, sed gratâ saltem manu, quâ sacrorum vestrorum integritatem vobis oblatam acceptaretis. De Trojanâ Palladis arce fertur, cum in ejus summo templum illi aedificaretur, simulacrum ligneum, quod Palladium vocabant; è caelo cecidisse, & nondum coopertâ aede locum sibi in illo templo elegisse, moxq; Apollinis auditum fuisse oraculum, quod



ei civitati exitium minitabatur, si simulacrum extra mœnia portaretur; Diomedem autem, & Ulysssem tempore belli Trojani per cuniculos conscendisse arcem, & occisis custodibus, simulacrum sustulisse. Vestris quoque provinciis, ô mei, sacrum concreditum est Palladium, purior nimirum religio, quæ ut intra mœnia vestra sacrosancta & inviolata relinquatur, Elector Saxonix hoc tempore effecit. Cavete modò Diomedea & Ulysssea consilia, quæ Palladium hoc divinum loco suo movere, & per cuniculos mœnia vestra tam præclaro thesauro, sine quo salvus vobis esse non licet, spoliare possent. Cœlitus vobis datum est hoc Palladium, vestrum est, ne humanis dolis auferatur, cavere.

Plut. in  
Lacōn.

Religionis beneficium excipit suavissima subditorum conjunctio cum summo magistratu. Nam si à vero Dei cultu discesserimus, nihil magis in votis optatisq; esse debet subditis, quàm favor & clementia Principis; nec Principi, quàm amor & obsequium subditorum. Agasicles interrogatus, quonam pacto magistratus, nullo stipatus satellitio, imperare suis posset, respondit: si ita imperet suis, ut pater filiis; innuens, si magistratus benevolentiam, & benefactis adjungeret sibi civium animos, non opus esse barbarico conductioq; satellitio, cum nullos haberent corporis sui custodes tutiores, quàm cives, erga quos patris gererent affectum. Simile quid de Eberhardo duce Wirtenbergico refertur, qui, cum alii Principes ditionum suarum præstantiam, alius agrorum fertilitatem, alius metalli fodinas, alius venationes, alius aliud quid prædicaret, nihil in quo cæteris



ORATIO PANEGYRICA.

teris se præferret, habuit, quàm quod in cuiusq; subditorũ  
 fuorum sinu caput secure reponere posset: notans summã  
 subditorum fidelitatem, amorem ac benevolentiam, quæ  
 in tantum excrevit, ut quemlibet eorũ corporis sui custodẽ  
 admittere tutõ auderet. O felix Respub. in quã tanta est ma-  
 gistratus & subditorum consensio! non enim tam opus est  
 sinistra dextræ, quàm regentibus & pãrentibus harmoniã  
 & consensu. Nam in eãdem navi sunt, nisi pariter, & ad  
 eosdem numeros remos ducant, pariter interibunt. Magi-  
 stratus non cum odio subditorum metum, sed in amore  
 ipsorum reverentiam quærat: quam ut impetret, Gregorii  
 Magni consilium sequatur, qui vult, *ut rector subditis sit lib. de PA-*  
*disciplinã quidem pater, sed pietate mater.* Subditi vicissim, *store.*  
 obsequium fidele libertatem suam esse sciant, & se tũm de-  
 mũ felices arbitrentur, cum ad nutum boni principis vixe-  
 rint. Hæc est illa aurea harmonia, quæ liberos parentibus,  
 subditos magistratui, inferiores superiori sancto quodam  
 glutine copulat, & ex iis, qui cõditione sunt impares, quàm  
 conjunctissimos reddit. Hæc animorũ conjunctio, ut mul-  
 ta alia bona secũ fert; ita in primis tollit diffidentiã, quæ pe-  
 stis cum se inter magistratum subditosq; interponit, illorũ  
 pietatẽ cum tyrannide, horum obsequiũ cum rebellionẽ  
 facilẽ permutat: utroq; Reip. pestis nulla esse potest perni-  
 ciosior. Neq; facilẽ invenies, qui, rebus sic stantibus, dissi-  
 dentes ita componant, ut, salvã magistratus autoritate, ci-  
 viũ salus intemerata relinquatur. Pauci enim sunt, qui ani-  
 mũ istũ habent, ut velint; vel autoritatẽ, ut possint. Semper  
 autem reperiuntur, qui incendio fomenta subministrãt, &  
 dum



dum pacis consilia ignorant, interim ex tristissimis illis vul-  
 neribus desideriorum suorum sitim restinguunt. Nam ut  
 Salamandra non nisi magnis imbribus provenit, serenita-  
 te deficit: ita isti non apparent, nisi statu Reipub. bello  
 aut seditione turbato, rebus autem pace compositis emo-  
 riuntur. Non sic Elector noster Serenissimus: qui di-  
 stractionem Cæsaris ac subditorum vix siccis aspicere po-  
 tuit oculis, proinde omne consiliorum robur, omnesq;  
 virium suarum nervos eò intendit, ut Cæsaris iram à subdi-  
 tis averteret, subditorum animos mutaret, in illo pater-  
 num amorem, in his filiale obsequium, plantaret, utro-  
 biq; diffidentiam omnem tolleret: quòd quàm feliciter  
 Ipsi cesserit, universa testari potest Silesia, prædicare Lu-  
 satia. Fatentur sanè Legati Amplissimi, qui in conspe-  
 ctum & alloquium Cæsareæ majestatis admissi, magnam  
 non dicam clementiam, sed humanitatem prorsus exper-  
 ti sunt, ita ut affirmare ferè audent, Cæsaris animum ita  
 jam placatum, & erga Silesios Lusatiosq; sic affectum  
 esse, ut hi in conspectum illius venire gaudeant; Ille,  
 si ita opus esset, in horum sinu dormire, non dubitet. O  
 præclaram reconciliationem! qualem exoptarunt Au-  
 striaci, speraverunt Moravi, sed nondum tanta eis afful-  
 gere potuit felicitas; ut autem vel tandem affulgeat, fac  
 Tu, ô æterna Unitas! Certè non contemnenda est Cæsaris  
 ira; numen aliquod habet & pondus penetrabile. Indi-  
 gnatio regis nuncius mortis, & vir sapiens placabit eam:  
 in hilaritate vultus regis vita, & clementia ejus quasi im-  
 ber serotinus, inquit Regum sapientissimus. Agno-  
 scent

Prov. 16.

mub



scient ergò, qui boni sunt, immensum & planè immortale Dei beneficium, quod per manum Electoris Saxoniae ipsis contulit; agnoscent & prædicabunt illi, qui quanta secum ferat incommoda, iratum habere Cæsarem, intelligunt. Non semper tuta spes in armis ponitur. *Omne bellum sumitur facile, inquit Salustius, ceterum egerime desinit: non cuius potestate initium, ejus etiam finis est.* Initia belli penes homines sunt, exitus penes DEUM, cujus voluntatem erga nos, non sine causâ ignoramus, videlicet nescii quàm apud ipsum gratiosi simus. Quâ de re eleganter differit Ludovicus Vives in epist. ad Henricum octavum Angliæ regem: *Non secus, inquit, quàm pecunia nostro arbitrio aleæ exposita illicò alieni sit juris, incertum cui cessura sit: ita princeps, & tota ditio, in sortem eventus constituitur, moto bello. Quàm multos pœnituit belli vel prosperè cœpti? Nec ulla Respub. instabilior est, quàm quæ sæpè movet arma. Quoties in extremum discrimen Athenæ venerunt? à Persis exusta, à Lacedæmoniis oppressæ, ac spoliatæ mœnibus: à Philippo fractæ, ab altero Philippo afflictæ, à Mitridate occisæ, à Sylla propemodum deletæ. Bellatrix illa Roma à Tatio captæ est, à Porsenna obsessa, à Gallis incensa, à Pyrrho territa, ab Annibale concussa, suis deniq; armis dilacerata &c.* In utroq; periculum est, sive cum fortiore congregiaris, sive cum debiliore; nihil enim est tam infirmum, cui suæ ad nocendum vires desint. Quapropter fatius est, depositis armis in mutuos riuere amplexus, quàm incerto belli eventu arma vibrare: fatius est sublatâ diffidentiâ suavissimam alere

Salust. in  
Ingruiba.

D

con-



conjunctionem, quàm dubiam experiri aleam: quod dum,  
beneficio Electoris Saxonici, Silesiis Lusatiisq; contigit,  
mirum, si non sibi mutuò jam gratularentur.

Sed nondum beneficiorum finis: accedit insuper re-  
gionum illarum in medio belli furore prosperitas & inco-  
lunitas. Nullum sanè est tam felix bellum, quo non po-  
tior sit iniqua pax, sive curas, sive sumtus, sive discrimina  
consideres. Bello omnia insunt mala; cædes, rapinæ, adul-  
teria, incestus, perjuria, blasphemix, vastatio agrorum, in-  
cendia urbium, & quidquid militi sua cuiq; libido dicitur,  
in bello virtus appellanda est, unde fit, quòd, quæ ante bel-  
lum regio erat quasi hortus voluptatis, post illud fiat soli-  
tudo deserti, ut Propheta loquitur. Hoc enim esse videtur  
verè & germanè militare, inquit Vives; nihil arbitrari æqui  
atq; boni propter se esse sancitum, nulli se juri esse subdi-  
tum, se in vaginâ omnes leges cum ferro gestare, quidquid  
conscelerato animo collibuerit, id solum esse jus atq; æ-  
quum. Jocus & ludus sunt, in militiâ domos diripere, fana  
spoliare, virgines rapere, solidas urbes atq; opida incende-  
re: magna præterea dementia, corrumpere, quod retinere  
non valeas. Summa, hæc sunt belli decora, profuisse nemi-  
ni, nocuisse quàm plurimis, nullo respectu aut recordatio-  
ne præsentis mundo Dei: ita gerunt in corporibus polluti-  
tis animos coecos, ut Dei iustitiam non videant, & admo-  
neri indignè ferant. Si maximè omnia sibi licere putarent  
milites, religio tamen ipsis esse debebat, templa vel spolia-  
re, vel sanguine interfectorum polluere. Ea enim loca ab  
ipso Deo immunitatis habent privilegium, adeò ut quis  
patra-

Joël. 2.

Exod. 21.

Num. 25.



patratâ cæde fortuitâ, ibi ad cornua altaris tutum habere potuerit receptaculum. Honorius & Theodosius Imperatores Christiani legibus caverunt, ut qui aliquos ab aris & templis vi abstraxissent, crimen læsæ majestatis incurrerent. In Synodo Arausicanâ cap. 5. cautum est, ut confugientibus ad Ecclesiam, (seu templum) loci sancti reverentia & intercessione liceat esse tutis. Quin & gentiles templis magnam habuere reverentiam, ita ut non tantum confugientes ad ea *ἀσυλία*, seu jus veniæ, habere dicerent, sed & tempore belli, non facile quemq; in iis læderent. I Agefilaus Athenienses ac Bœotios apud Coroneam cum suis sociis iter ejus impedire conatos gravi prælio vicit. Ex hoc prælio multi ad templum Minervæ confugerant, de his rogatus, quid fieri vellet Agefilaus? vetuit illos violari, cum tamen in eo prælio vulnera aliquot accepisset, omnibusq; vehementer iratus videretur, qui tum arma adversus ipsum tulerant; plus tamen apud ipsum valuit religio, quàm ira. At quid nostri milites? non tantum cædibus templa replent, sed & planè diruunt, tristiq; incendio lamentabile faciunt spectaculum. Atq; utinam exempla non sat multa suppeditaret præsens bellum! in quo Doctores Ecclesiarum non pauci cum auditoribus suis, dum sacris operati sunt, præda militibus facti, & cum solatio animæ ultimum vitæ spiritum hauserunt. Quanta vidit Bohemia, Moravia, Austria, Hungaria & sacrarum & prophanarum ædium incendia? quot nobilissimarum urbium spolia? quot lectissimarum virginum, & honestissimarum matronarum supra? quàm horrendas totarum regionum depopulationes? Nos fando

Deut. 19.

Cod. lib. 2.

de his qui

ad Ecclesi-

as confugi-

unt l. Fide-

li.

Dist. 87.

cap. Eos

qui ad Ec-

cles.



saltem aliqua, non sine gemitu, audivimus; putatisne  
 eos, quorum interest, sine lacrymis sanguineis aspicere  
 ea potuisse? Sed benedicta sit Sacrosancta Trinitas, quòd  
 non omnes consumti sumus: benedictus sit DEUS deo-  
 rum, qui Silesios ac Lusatios vicinos ac amicos nostros,  
 tanquam torres ambustos ex hoc incendio eripuit. Quo-  
 modo si eruat pastor de ore leonum duo crura, aut extre-  
 mum auriculæ (ut hoc de suo mihi largiatur Propheta):  
 Sic eruti sunt fideles, qui habitant in Silesiâ, in plaga le-  
 ctuli, & in Lusatia grabato. Florent adhuc ex voto suo:  
 sacra in templis faciunt sine metu: Reipub. consulunt si-  
 ne impedimento: agros colunt sine damno: peregrinan-  
 tur, negotiantur, sub ficu vineâq; suâ quisq; habitat sine  
 incommodo. Non hæc suæ tribuere possunt innocen-  
 tiæ, sed pro suâ pietate Electoris Saxonici prudentiæ, (si  
 à misericordiâ Dei discesserint) hanc suam haud inviti ad-  
 scribent immunitatem. Noverat enim Serenissima sua  
 Celsitudo, quod nisi terræ detur tranquillitas, nec inha-  
 bitantium magna sit in Deum, vel magistratum pietas:  
 ideò, quantum in se fuit, illos quàm tutissimos etiam hoc  
 in genere præstare voluit. O magnum & hoc præ aliis,  
 qui ad pristinum Imperatoris obsequium reducti sunt, pri-  
 vilegium, quod non regionis depopulatione, sed inco-  
 lumi terra, ordinarii saltem tributi pensione acquisitum  
 est! Ecquid verò hoc incommodi? *Majores nostri bella  
 gesserunt, bello fatigati, pacem petentes, tributa obtule-  
 runt, inquit Orosius: Tributum pretium pacis est, nos tri-  
 buta dependimus, ne bella patiamur. Melius est exiguum  
 dare*

Or os. lib. 5  
 de Orime-  
 sta.



dare principi protectori, quàm totum relinquere militi prædatori. Magnum ergò & hoc est beneficium, quo Saxo Elector vicinos nostros ad immortalem grati animi declarationem magnoperè sibi obstrinxit.

His deniq; omnibus quasi cumulum addit, illa cum vicinis nobis renovata amicitia. Tristissima sanè rerum facies erat ante menses quatuordecim, & quod excurrit, quando affinis cum affine, cognatus cum cognato, frater cum fratre, filius cum patre, & quod tristitiam omnium maximè augebat, unius ejusdemq; fidei socius cum socio bella gerere cogebatur. Verè tunc, cum paries ille proximus arderet, res nostra agebatur, non tantùm ob commune periculum, verum etiam ob immane illud odium, quod in nos derivabatur ab illis, quos temeritatis suæ postea poenituit. Et sanè periculosum erat dissidere ab aliis, quos in communi incendio socios habere præstabat quàm hostes; quos diffidentia à nobis fecit alienos, quibus vel ipse furor arma ministrare potuisset: Sed fecit divina bonitas, & Serenissimi Electoris nostri prudentia ac industria, ut & nos experiremur, belli finem esse pacem, & ut M. Tullius loquitur, bellum ita suscipi, ut pax quæsita videatur. Nisi enim armorum ille terror antecessisset, forsan optata illa, & ex animo quæsita pax in hisce regionibus secuta non fuisset. Jam autem sereniore vultu nos invicem aspiciamus, cessavit diffidentia; fugit metus; rediit amor mutuus, & auro contrà carior concordia. Jam restituta nobis sunt cum vicinis nostris commercia, jam com meatus reclusus, quem metus & diffidentia occluse-



rat: jam Gratia ad nos redire, quas Bellona abegerat: jam in mutuos ruunt amplexus, quos suspicio divulserat. O beatum illum annum, quo Elector noster clementissimus hanc nobis aperuit concordia januam! Sic nimirum *Una eademq; manus vulnus opemq; talit.*  
 O dilecta concordia! ô dulcis consensio! Ecce! quàm bonum, & quàm jucundum, fratres habitare in unum! Hic est Thyrrenus ille lapis, qui quamvis grandis, innatat, comminutus fidit: nam concordia sustinemur, discordia pessumimus. Hæc est dulcis illa nutricula amicitia, quæ solutâ animorum consensione & ipsa solvitur. Hic est terror hostium: nam Callicratidas apud Plutarchum rectè olim judicavit, Græcos aliâ ratione non posse reddi barbaris formidabiles, quàm si depositis intestinis simultatibus mutuam inter se concordiam sancirent. O utinam hic animus impetrari posset à Germanis nostris omnibus, ut cum intestinis simultatibus etiam arma ponerent, viresq; suas contra communem hostem Christianorum, Turcas Tartarosq; converterent! quàm facilè barbaris illis formidabiles fieri possemus, sed, dum jam in mediâ Germaniâ mutuis cædibus in propria sævitur viscera, metuendum est, ne opinione citius nos ipsos prædam objiciamus illis barbaris, quos hæctenus, per annos benè multos, à finibus nostris Germana virtus propulsavit. Agnoscitis, opinor, Auditores, quàm multa & magna sint, quæ Deus pro immensâ suâ misericordiâ per Electorem Saxonie superiori anno & his & vicinis regionibus præstitit beneficia, pro quibus hodierno die DEO præpotenti laudes & gra-

Sen. lib. 4.  
de ira cap.  
106.

Plut. in  
L46.



& gratias; Serenissimo verò Electori honorem & obsequium offerimus.

Sed audire mihi videor quorundam voces: Quæ tu nobis beneficia narras? quam pacem, quem consensum memoras? Annon ex clade Budissinâ calent adhuc aures nostræ? annon Hannibal adhuc ante portam est? annon Turcici & Hungarici acinaces in finibus Silesiæ fulgurant? annon Martis alea satis adhuc ubiq; dubia est? verendum omninò ne nimis præproperè, & prorsus ante victoriam triumphemus. Hæc illi veluti ex syngraphâ nobiscum agunt, quibus etiam, ni fallor, sapientum aures interdum obtundunt. Sed enim, Auditores, nobis non est animus triumphos instituerè, veluti de debellatis hostibus: sed Dei benignitatem prædicamus, quæ nobis, & vicinis nostris in his bellorum motibus veluti per obscuram quandam nebulam affulsit. Quemadmodum enim cum per dies benè multo triste coelum nubibus obductum, amabile Solis lumen occultat, & verò ex aliquâ coeli parte Solis radii non nihil emicant, gaudium certè cum spe plenæ serenitatis cõcipitur: ita, dum in hac tempestate bellicâ, ex aliquâ parte saltem pacis serenitas amicum nobis vultum ostendit, exultat omninò Spiritus noster, cor micat, & in laudes altissimi exsurgit, plenamq; pacem sibi pollicetur. Negari enim nequit, quod Silesiorum & Lusatorum, hinc etiam nostræ conditio, jam longè sit tranquillior, coelumq; nostrum serenius rideat, quàm multorum aliorum populorum, quos hæc simul concussit tempesta. Forlan & Lusatia, sicuti Silesia, nullam fundi sui calamitatem

vidif-



vidisset unquam, si non ex parte semetipsam turbini isti involvisset. Elector certè Serenissimus, naturâ placidus, & pacis amantissimus, non ut tempestates moveret, sed motas compesceret, tot sumtus impendit, tot pericula subiit, tot labores sustinuit. Sed quemadmodum parens subitâ exortâ tempestate liberos nec imbrem, nec fulmina metuentes, etiam arrepto brachio è plateis per præceps ad se rapit in locum tutiorem, non ut perdat, sed ut ab imminente perditione præservet: ita Elector, ingruente jam, ex loco sublimiore grandine & fulmine, quæ paulò post alias conquassarunt provincias, pro paternâ suâ curâ traxit, qui duci noluerunt, quorum præcipitium non sine tristissimis oculis aspexit: quin & totam illam victoriam, ita moderatus est, ut & victis parceret, & deinceps apud Cæsaream Majestatem victorum potius patronum, quàm victorem ageret. Magno sanè animo militis præfidiarii contumelias perpessus est, nec, obtentâ jam victoriâ, iniquenquam severius animadvertit, sed militem indemnem dimisit, civibus à milite deceptis condoluit, ipsorumq; damna suâ munificentia sublevavit, probè sciens, regium esse, benefacere & malè audire. Quis unquam melius fortunâ suâ uti? quis majori cum mansuetudine victoriam moderari potuit? Quod Lusatii & Silesii, adde & nos ipsi ab hoste nondum tuti sumus, nihil hoc derogare potest felicitati harum regionum, quam prædicamus. Nunquam enim tam perfectè benedicit Deus alicui regioni, quin aliquod exercitium pietatis & patientiæ relinquat. Hostes sunt, qui nobis hanc pacem invident; sed homines sunt,



sunt, qui nihil possunt contra Deum: prætextum belli habent, sed prætextus bellum justum non facit: Turcas & Tartaros adducunt; sed qui habitat in coelis irridebit eos, circuloq; naribus injecto in locum suum reducet: gladium & ignem minantur, sed Deus est, qui confringit arma, & scuta comburit igni: ingenti agmine sunt in accinctu, (ita enim fertur) sed Deus æquè per paucos juvare potest ac per multos. Esto, quod periculum aliquod nos expectet, melius omninò est, ut inferatur illud ab extraneo, quam à magistratu. Israelitæ contra Benjamitas fratres suos ac religionis socios pugnantes, justam belli causam habebant, quin & Dominus ipse militem contra Benjamitas conscribebat; & tamen non omninò absq; omni periculo erant. Nam secundâ vice à facinorosis Benjamitis cædebantur, ita ut primùm viginti duo millia, deinde octodecim millia virorum fortium interimerentur: tertia vice totus exercitus in fugam vertebatur, cæsis triginta viris. Id quod Israelitas ferè exanimabat, ideò cum fletu & lacrymis multis rem hanc ad Dominum deferebant. Num ergò ex parte Israelitarum jam depugnatum erat? minimè verò: Sed Deus ille, qui arma sumere jusserrat, spiritum ipsorum crexit, & causæ bonitatem interfectione hostium plenaq; victoriâ vel tandem comprobavit. Contra unum David & tribum Juda erant undecim tribus Israelis in armis, duce Abnero, qui Isbosethum Saulis filium in regem elegerant, rejecto David: sed unico Abnero interfecto, dissolutæ sunt manus Isbosethi, omnisq; Israel perturbatus est, qui rejecto rege novo pristinū foedus cū 2. Sam. 4.

E

Davi-



ORATIO PANEGYRICA.

Dauidem redintegrabat, Isboseth autem in lecto suo à propriis corporis sui custodibus interfectus est. Ita æquè dubia Martis alea est ex parte hostium, quàm nostra. Viderit quisq; quam causam præliandi habeat: de cætero Dominus providebit. Desinant ergò invidi hoc livore Serenissimi Electoris Saxoniae felicitatem obnubilare: nihil enim aliud agunt, quàm quod surdis auribus & clausis oculis beneficia Altissimi negligunt, h. e. in abyssum malorum, quæ nunquam recedent à domo ingrati, se præcipitant.

Quid verò nos? Auditores optimi, quàm mente tanta beneficia Dei considerabimus? quibus oculis aspiciemus? Romani cum se in periculo versari cernerent, vovebant, quæcunq; proximo vere apud se nata essent animalia, diis se immolaturos, unde ver sacrum dictum est. Nos nondum omnibus periculis exempti, è multis tamen liberati, non aberrabimus, si hoc anni auspicio nos, nostrasq; operas Deo præpotenti consecremus, & in primis victimas labiorum nostrorum cedamus, grato pectore memores acceptorum beneficiorum & devotè supplices pro futuris.

Tibi ergò, ô æterne Deus, hymnum cantamus: Tibi, quantas omninò, in his ingenii nostri angustiis, animo concipere, quantas in ista elingui pænè balbutie verbis exprimere possumus, gratias agimus, quòd in his furoribus belli tam paternis oculis nos respexisti, & sanctorum angelorum excubiis super hanc provinciam vigilasti, ne & illa in tam triste incendium Germaniæ abriperetur. Non sumus meliores vicinis & fratribus nostris; sed no-

stra



ORATIO PANEGYRICA.

stra quoque peccata super caput nostrum aggravata sunt: Tu vero misericors & propitius es, qui pepercisti nobis; & per electum tuum organum, Serenissimum Saxoniae Electorem, salutem dedisti populo tuo. Quid retribuemus tibi pro tantis bonis? En tibi cor nostrum, quod amore tui totum semper ardeat: ad quod si nondum est idoneum, tu tibi illud prepara in jure sacrificium. En tibi omnes labores operasque nostras, quae soli tuo honori inserviant: Tu benedic eis, ut tibi semper sint acceptae. Ad genua misericordiae tuae devoluti devotis suspiriis oramus, o mitissime Pater, respice in faciem Ecclesiae tuae multis in locis turpissime deformatam, audi gemitus miserorum tot millium, quos sub hostium manu ad Te fundunt: aufer bella ad extremum terrae; nec da regionem optimam in manus barbarorum. Restitue Ecclesiae tuae pristinum nitorem; custodi puritatem verbi tui, impedi omnia consilia sanguinaria, redde pacem populo tuo, cum qua nobis reddes omnia, quaecunque ex voto esse possunt fidelium. Perfice DEUS, quod operatus es in nobis, ne des nos in confusionem hostium, ne interturbetur gaudium nostrum. Succurre miseris in Moravia, Austria, Hungaria & passim alibi ad Te suspirantibus fratribus nostris, fac ut eluctentur tandem ex hac calamitatum abyssu, & nobiscum humero uno Nomini tuo serviant. Ita hanc letitiam nostram firmam, stabilem, certam ac ratam non tantum in pra-



sentiâ nobis efficies, verum etiam subsequentibus temporibus diuturnam conservabis, donec perfuncti hac militiâ ad solidam, æternamq; quietem, quæ nobis sanguine Filii tui parta est, perveniamus.

Jud. 11.

Te verò, ô Elector inclyte, Domine clementissime, quibus Te laudibus & applausibus excipiamus? Jephthen, heroa fortissimum populi sui sospitatorem ex prælio Ammonitarum redeuntem filia unica cum tympanis & choris excipiebat victorem, sed magno patris cum luctu. Fiat, utinam, ut Te Patriæ Patrem nos filii Tui ita salutemus, ne ullâ vel Tibi, vel nobis, luctus & querelarum, sed perpetua gaudii ac tripudii materies inde excreseat. Majores tuos laudatissimos Saxoniae Electores elogiis suis, quemque pro meritis, grata ornavit posteritas: Fridericum III. Academiae hujus fundatorem vocavere SAPIENTEM, Johannem ANIMOSUM, Johannem Fridericum CONSTANTEM, Mauritium FORTISSIMUM, Augustum PIUM, Christianum I. parentem tuum MAGNANIMUM, Christianum II. fratrem, MUNIFICUM: Te, JOHANNES GEORGI Domine clementissime, si dixerim IN BELLO PACIFICUM, nihil abs re dixerim. Ita enim moderari potuisti bellum, ut in eo non victoriam, sed pacem quæreres, quæ sanè virtus Tibi propria gloriâ parit immortalem, & innumeris triumphis potiore. Pro quibus in nos, & vicinos nostros meritis nihil aliud expetis, nec aliud quidquam possumus, quàm votum, sed calidis animi suspiriis fufum: VIVE, VIVE, Elector Serenissime, Pater patriæ, salus afflictorum,  
afy-



ORATIO PANEGYRICA  
asylum derelictorum, legum protector, pacis instaura-  
tor.

Annuat oranti Dominus Tibi, JANE-GEORGI:

Paraphra-  
sis Psal. 20.

Det, quaecumq; rogas, adversaq; spicula sortis  
Defendat capitiq; tuo, capitiq; tuorum,  
Teq; Sione tueatur ab arce, potenti  
Robore, quò firmis animis & pectore forti,  
Stes contra quem vis, ut murus abeneus, idum.  
Cœlitus accendat gratæ libamina mentis,  
In cineresq; precum convertat tibia tuarum.  
Quidquid agis, benè sit, Tua semper vota secundet,  
Consiliq; tui quod vis felicitet omen.  
Faxit; ut æternos Tecum faciamus oratus,  
Atq; sibi pro Te solvamus vindice grates.  
Audiat, auxilioq; precum spem prævolet, & Te  
Prosperet in votis, reseretq; sacraria cœli,  
Divinaq; aure Tibi cœlitus impleat imbrem  
Curribus & turmis alius confidat & armis,  
Bellantumq; sibi numerum subducat equorum:  
Nos juvat in Domini confidere Nomine: ab Illo  
Duxq; ducisq; boni victoria provenit uno.  
Terga dedere hostes; nos autem stamus, & Illi  
Interière armis fulti, Nos Numine tuti  
Vivimus: à Domino benedictio Principis: Ille  
Annuet, & nostris addet sua pondera votis.

DIXI.

E 3

SENE-



SENECA LIB. I. DE CLE-  
MENTIA C. III.

**I**lius demum Principis magnitudo stabilis fundataq; est,  
quem omnestam supra se esse, quam pro se sciunt; cu-  
jus curam excubare pro salute singulorum atque uni-  
versorum quotidie experiuntur. Quo procedente, non,  
tanquam malum aliquod aut noxium animal e cubili  
profilierit, diffugiunt; sed tanquam ad clarum & benefi-  
cum sidus certatim advolant, objicere se pro illo micro-  
nibus insidiantium paratissimi, & substernere corpora  
sua, si per stragem illi humanam iter ad salutem  
sternendum sit.



SENE-

E 3



PANEGTRICUS  
SERENISSIMO POTENTISSI-  
MOQUE PRINCIPI  
DN. JOHANNI GEORGIO  
SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ AC  
MONTIUM DUCI:  
S. ROMANI IMPERII ELECTORI SE-  
PTEMVIRO &c.

*dictus*

ab

AUGUSTO BUCHNERO  
Dresdense, Poët. Prof. P.



*Qui*



PANEGYRICUS.

**Q**UI trepidi nos cunque metus, quicunque timo-  
 Sollicitos habuere, ex quo defendere jura (res  
 CAESARIS instituit, perq; arma reducere pacem  
 Ruptam armis patrie juratus Principis ardor,  
 Nunc abeant cedantq; procul: toga cuncta peregit  
 Atque pii fortuna Ducis, trabeaq; labores  
 Victrices vicere aquilas: se corrigit error  
 Dum licet, & penitus turgentis semina belli,  
 Dum surgunt, extincta jacent. Nunc cornua ponit  
 Carpathio nutrita gelu, placidusq; Budorgin  
 Prævehitur Viadrus, gemmarum dives & auro  
 Bobera mite sonat, nec, ut ante, accensus in iras  
 Holsaceler Nissusq; tumet. Quæ sumserat olim  
 Lusatus non sponte ferox, nunc projicit arma,  
 Et veniam pacemq; rogat, gaudetq; subire  
 Victoris placidi leges & mollia jura.  
 In melius versa omnia eunt. Sancivit amorem  
 Quæ ferit læsitq; manus: quem nuper agebat  
 Iam Mysus tutature eques; nil Saxo nocere  
 Porro cupit; socii coeunt ex hoste manipuli,  
 Et geminata uno sudat pro cardine virtus.  
 Non cadem metuunt proceres, non crimina vulgus,  
 Divitiasve habuisse, nocet; turbatur a viro  
 Nemo lare, & dulces exul migrare penates

Cogi-



PANEGYRICUS.

Cogitur: antiquos ritus venerataq; longè  
 Numina templa colunt, nullumq; altare iubetur,  
 Quem nescit, dare vota Deo: sua cuique tueri  
 Sacra recepta licet. Votis majora videmus,  
 Et querunt dubia presentia gaudia mentes.

Quis meritum tam grande Ducis, quis tradere fastis  
 Et donare aro? qui ferre minoribus olim

Annales poterunt, vatumq; sacrare labores?

Da veniam, da, summe Ducum, non pectora nostra

Nonte hominum laudes capiunt; superamur, Et omni

Nos tuâ parte premit numeroso examine virtus.

Iustitiam celebrem? tardet Clementia cantum:

Quàm pius Et charus superis? telluris amores

Et populi non emt a fides mea dicta moretur.

Armati referam laudes, dextraq; potentis

Orsa canam, Et quanto praeceles fulmine belli?

Me pacata premat virtus, Et purpura Martem.

O felix! ô magna dies! ô numine plena!

Digna ô Hydaspèis signari in secula gemmis,

Qua tibi nascenti tam faustos annuit ortus,

Omnibus ut te unum possis impendere rebus,

Et pariter belli laurum, trabeasq; mereri

Pacificas! Quod si te secula prisca tulissent,

Regia quum supero virtus adscripta decori est,

F

Te



PANEGYRICUS.

Te sibi contempto Rhodopeia regna Gradiuo,  
 Mallet Creta Iovem. Soli longinqua videntur  
 Atque aliis submota tibi, Chaldeus in astris  
 Non citius ventura notet. tua pondera mentis,  
 Æthereos sensus, & verba equalia nimbis  
 Quis non miratur procerum, aut Legatus adorat?  
 Ante venis discenda animo, naturaq; donat  
 Nobilitasq; sibi, quæcunque labore parantur  
 Annorumq; aliis usu. Te semper honesti,  
 Atque æqui pia cura regit: nec vota precantur,  
 Fastidis sortemq; hominum: tibi pauper amatur,  
 Par inopi pariter jus dividis atque potenti.  
 Antiqui mores, nostroq; incognitus ævo,  
 Te sequitur candor, munit constantia pectus  
 Firma animi, ac nullo patitur terrore moveri.  
 Stat menti jurata fides, non prospera fortis  
 Te attollunt, adversa premunt, semperq; paratus  
 Casibus occurrens fortunam utramq; triumphas  
 Nil præceptis, citus omnia agis, consulta tuorum  
 Consilii rector mens, fati gnara, faceffit.  
 Talis Alexander bellorum fulmine Eoas  
 Attonuit gentes, & vincula ferre coegit  
 Nequicquam auratis pugnacem cornibus Indum.  
 Talis Casar erat, victricia signa per orbem

Quum



PANEGYRICUS.

Quum ferret legesq, suas. Fortuna nec usquam  
 Conatus frustrata tuos: tibi militat aether,  
 Et conjurata veniunt ad classica laurus.  
 Non tibi delicia segnes, non marcida cordi  
 Otia, non epula diverso è Sole petita,  
 Persarumq, onerat qualis convivia luxus:  
 Uteris inventis dapibus, vix prisca Laconum,  
 Sobria coena magis, rigidi non mensa Lycurgi  
 Sanctior: interea heros, quos addidit astris  
 Bellipotens virtus, VVitekindaq, nomina, & ingens  
 Alberti decus, unde tibi descendit origo,  
 Commemorare iuvat, magnamq, his pascere mentem.  
 Aut dare, qui casus homines, qui sceptrum fatigent,  
 Et cautos monstrare metus, & spargere dicta  
 Aurea, Socraticis non inficianda palestris.  
 Iam si forte tuas dimittunt publica curas,  
 Fessaq, tot rebus sibi se mens ignea laxat,  
 Æripedem conscendis equum, simulacraq, ludis  
 Martia: non patriæ talem videre Therapna  
 Castora, non juvenem senior miratus Achillem  
 Thessalus. Uique tuis sonipes calcaribus arsit,  
 Diffusis stant colla iugis, vivusq, per armos  
 Impetus exultat, generosis ignibus ora  
 Eumant, vix tactas levis ungula transit arenas.



PANEGYRICUS.

Sepius in virides saltus & lustra ferarum,  
 Te tuus ardor agit, atque arma Dianea tractas.  
 Iamq; procul cervam volucrem, jam cominus aprum  
 Sternis humo pugnans, ipsisq; cubilibus ursos  
 Audaci virtute moves. Tirynthius ultro  
 Latousq; tibi cedant: Tirynthius armis  
 Latous jaculo. Non alter ferre calorem,  
 Hibernasve nives matutinamq; pruina  
 Promptior, adversum durare nec imbribus Austrum.  
 Regna Primislai, quasq; olim condidit urbes,  
 Caucasam post terga nivem, Riphæaq; linquens  
 Sidera, Sarmaticis, Zechus, progressus ab oris,  
 Miscuerat turmale fremens, vultuq; doloso  
 Occultata nefas, se RELIGIONIS in ora  
 Transmutans nivea, crudum insinuarat amorem  
 Belli animis, praeses Pœnarum tristis Enyo.  
 Iam quoque finitimas gentes gliscente tumultu  
 Sollicitat: socii rapiuntur in arma Silesi,  
 Marcomanus priscâ stimulatus pectora laude,  
 Non sua bella movet: solus premit Austrius iram,  
 Parcendoq; nocet. Numeroso cinctus ab hoste  
 Quid faceret Caesar? quum jam quoque dira minatus  
 Ister atrox, fictaq; fugâ lethalior Hunnus?  
 Saxoniam deposcit opem, pacandaq; defert

Misni-



\* Misniacas quondam non dedignata secures  
 Arva Lusatorum, quantumq; interjacet Albis  
 Atque Oderæ fontes, tantis te destinat actis  
 Imperii qui sceptrâ pater Iove sustinet æquo,  
 Credit & esse parem. Nam quæ tam fida magisq;  
 Augustis devota manus? hæc proxima Cervix  
 Ponderis immensi, partæ quæ laudis honores,  
 Et tanta imperii fata inclinata recumbant.

\* Utraque  
 enim Lu-  
 satia olim  
 sub Mar-  
 chionibus  
 Misnie  
 fuit.

Vota hæcere viro, sacroq; in pectore cogens  
 Totum animi ingenium ventura pericula versat  
 Arma manu, an longum populi servaret amorem:  
 Omnia volventi, vincunt pro Cesare cause  
 Imperii & reparandus honos. Sibi tutus, in hoste  
 Prætimuit damnum: verbis prius omnia tentat,  
 Et suadet, non cogit atrox. Fera fata resistunt,  
 Dum frustra-oblatæ calcantur fœdera pacis.

Non tamen exarsit; sed nobilitate serenâ  
 Æternum imperii bello proponit honorem,  
 Dein verso ad superos sic pectore ritè profatur:  
 Omnipotens mundi genitor, violabile nulli  
 Numen amans hominum, tuq; ò, quæ sanguine arborum  
 Relligio firmata mihi, Pietasq; Fidesq;  
 Nec non patria chara, & denique si qua vereri  
 Aut juvat, aut par est, me invitum arcessere Martè





PANEGYRICUS.

Testor ad has acies, invitum signa movere,  
 Non has sponte manus in certas ducere cades,  
 Vulnere sed læsà cum majestate coactum  
 Imperii. Quamquam & vestras defendere partes  
 Fatum urget celeresq; doli. Gladio ergò paranda est  
 Pax frustrata togam: quumq; auxiliantia verba  
 Ne quisquam serimus, ferrum tentare necesse est.  
 Fortunam sibi quisque facit. Nunc sumite bellum,  
 Et pacem mandate manus. mea causa peracta est,  
 Nil superest, spretà pro Pallade Iuppiter hac stat,  
 Dixit & insignem crocea sinuamine sive  
 Induitur galeam, lateri sacer additur ensis,  
 Quali vix superos & sidera terret Orion.  
 Classica tum lituos jussit: subito undique miles  
 Erigitur, læta properant ad signa cohortes.  
 It totum campis agmen, geminata refulget  
 Armorum splendore dies, ductorq; diei  
 Auctus luce novà radiisq; potentior exit.  
 Ipse etiam egreditur, nitidis conspectus in armis  
 Cornipedis fera terga premens, seque arduus exstat  
 MAURITII in speciem magni, quum belliger iret  
 Danubium & Getici rabiem frenare tyranni.  
 Hinc procerum speciosa cihors, delectaq; pubis  
 Robora, quasq; ipse metuant æquare bimembres,  
 Incedunt equitum turma: simulacra moveri

Ferrea,



Ferrea, & erat am credas prorumpere gentem,  
 Sic operit formatq; chabybs. Ruit undiq; portis  
 Visendi studio plebes, tota ipsa videnda  
 Quantam DRESDA capit: puerorum imbellior etas  
 Summa tenent, matresq; pia timidaq; puella,  
 Complent ima viri. Quanto tum lumina fletu  
 Imbre pio & maduere gena? qua mista timore  
 Gaudia defixos animos in principe charo  
 Versarunt? quantis salierunt pectora votis?

Tertia lux roseo caelum patefecerat ortu,  
 Budissa Nisicenis ager quum praeiuit urbis  
 Mœnia, & abruptis surgentem erupibus arcem.  
 Salve, miles ait, tellus! salvere per ipsam  
 Si modo te licitum est: si sponce admiseris, hospes  
 Advenio, sin, hostis ero. Nunc elige, bellum,  
 An pacem me ferre velis. Si bella placebunt,  
 Virtuti patet ampla seges. non tela, vel enses,  
 Non celsa obstiterint turres: quaquã ira virum fert  
 Perrumpam. Sevi proh quanta licentia ferri  
 Tunc erit! immensa meriti quàm incade natabunt!  
 Sic ait, & properat vallum, & munimina ponit  
 Iusta sibi. Quid te duros stimulavit in ausis  
 Urbs misera, & male-gnara tui? quid fata movere  
 Te juvat, & tristes casus urgere vocando?

Pri-



PANEGYRICUS.

Prima noces, pacemq, negas, hostemq, professa  
 Hostes ipsa facis. Quis tantum ferre furorem  
 Æquâ mente queat? sed tu Dux magne tulisti  
 Nil referens hostile hosti. Credentne minores?  
 Obsessor vice civis erat, timidusq, nocere.  
 Quid te nunc non posse putes, sociata fuere  
 Quum Pietas Nemesisq, tibi, Natura videtur  
 Qua quondam opposuisse parens, quum conderet orbem,  
 Atque hominum mortale genus, sua semina didens  
 Mentibus, & certos generans in pectora motus?  
 Perstat in incepto demens furor, & sibi sævus  
 Indulget, citius possis mollire precando  
 Caucasæas rupes, & duriora ferri,  
 Quàm populo suadere fero justæ otia pacis.  
 Augescit pietate nefas, & spernere cœpit  
 Quem parsisse videt: nec tantum vulnere teli,  
 Sed sævâ quoque voce ferit, convicia lingua  
 Missilibus geminata volant. Arcessere fata  
 Sic juvat, & misera præcepserunt ruina.  
 Tum demum magnos sese sibi cessit in astus  
 Nobilis ira Ducis, nec jam parcendo mederi  
 Sustinet ingratis, ferrum meditatur & ignes,  
 Et resecare parat, si quæ nocitura videntur.  
 Sic leo desuetus silvis, rituq, ferino

Depo-



Deposito, placidos quum adscii ut tempore mores,  
 Et didicit pectiq, jubas, hominemq, vereri,  
 Si contra hostilis micuit lux obvia ferri,  
 Erigitur, queritq, diu, quas exiit, iras.  
 Ast, ubi perstiterit damnatus & improbus hostis,  
 Addideritq, minas, stimulantis verberare cauda  
 Se monet, & vastos frendens attollit in artus.  
 Irruit, atque uno consumit momine pugnam.

Continuo stridor lituum clangorq, tubarum,  
 Audiri per castra Ducis: premit undique bellum,  
 Atque urbem sua fata manent. jam contus & ensis  
 Militat, & totis incurSAT viribus agmen.  
 Flamma etiam mandatur opus. subito omnis in igne  
 Urbs sedet, & trepidas vincunt incendia curas.  
 Vix tali Vesuvius apex exaestuât irâ  
 Hesperia quum triste tonat, jamq, ignea montem,  
 Solvit hiems: vix sic ruptis furit Aetna cavernis  
 Flammarum molem glomerans ac sidera lambens.  
 Ergo ubi nulla super patriam servare cadentem,  
 Et restare hosti ratio, clementia magni  
 Sollicitata Ducis. veniunt & poplite flexo  
 Vitam humiles pacemq, orant. O mite benigni  
 Principis ingenium! dociles o sumere bellum  
 Et finire manus, lethoq, inferre salutem!

G

Annu-



PANEGYRICUS

Annuit, & paucis sancit solennia dictis.  
 Quis populi tum vultus erat? quos poena manebat,  
 Libertas nec opina beat: nil damna recensent  
 Ac tristem accusant cladem, venisse videntur  
 Ex merito, inq; Ducis bonitate sua omnia ponunt.  
 Interea socias it praepes fama per urbes,  
 Invaditq; animos populi, clademq; recentem.  
 Differit, ac velox venturi nuncia belli  
 Centenas solvit dira in praconia linguas.  
 Omnibus incubuere metus, placuitq; teneri  
 Signa, nec in dubia discrimina mittere pugna.  
 Quin etiam errorum piguit, sanaq; rediit  
 Ille pudor mentis; nec jam pretendere facta.  
 Compositis tendunt dictis, commissa fatentur  
 Ingenue, veniamq; rogant, parere parati,  
 Et certam jurare fidem, nec parcere vita,  
 Si velit, & totos pro Cesare fundere census.  
 Non hoc absque Deo meliore & numine gestum est:  
 Vix completa suum bis Luna peregerat orbem,  
 Nocturni regina poli, blandaq; quietis  
 Arbitra, per veteris sedes ubicunque Lusizi  
 Sudetum creta nivibus Sprea labitur unda,  
 Aut tacitis Alestra vadis it nubilus amnis,  
 Quum nostri steterunt fasces & Saxona jura.

Exi-



Exitium jamq̄ ipsa timens, pertesaq̄ belli,  
 Bojemaq̄ memor cladis, transgressa nivosi  
 Culmina Sabothi Mysorum venerat oras  
 SLESIA, Saxonici subiens in Principis aulam,  
 Non galeà crinis premitur, lorica lacertos  
 Nulla tegit, qualem nuper se in bella ferebat.  
 Sed miti succincta togà, similisq̄ precanti  
 Visitur, & placida frondem prætendere oliva.  
 Deinde manu venerata Ducem, sic orsa loquendo est:

Saxonici Rector populi, quem regibus ortum,  
 Fama probata canit, (quamquam virtute potentem,  
 Plus noster miratur honos, & regibus aequat,  
 Quin Reges super extulerit) sint hæc enus arma,  
 Nunc veniam pacemq̄ rogo: si fœdera rupi  
 Casareas temnens aquilas, jam pœnitet: ipsam  
 Erroris damnare libet. Sed vincula gentis  
 Cognata junxere malo: sic fratre juvatur  
 Sæpe nefas fratris, sic patrem natus adheret  
 Peccantem, & suadet sanguis, cui pugnat honestas.  
 Imposuit male cautus amor. Iam numerus & aras,  
 Et patrios cultus, quis non defenderet armis?  
 Credebam hæc mihi cuncta peti: sed ubi exiit error,  
 Et veri jam caussa patet, disco, ecce, fidelis  
 Exemplo esse tuo, damnata & credere parti



PANEGYRICUS.

*Me populosq̄, meos. Nec, si punire placebit,  
 Obsisto: fateor noxam, meq̄, offero pœna,  
 Non ut serva tamen. cunctos jugulare necesse est,  
 Qui ferro punire velit; peccavimus omnes,  
 Et parilis nos culpa premis: vacuata colonis  
 Quem tunc arva juvent? viduas quem civibus urbes?  
 Non hoc extulerit reges, & numina ponens  
 Sidera donabit, se vire in vulnera, & enses,  
 Et mactare reos, pœnaq̄, & sanguine pasci.  
 Parcere subjectis, nec quâ jubet alta potestas  
 Ire, sed armatas multum sibi demere vires,  
 Et ferrum mulcere togâ, cœlestibus addit,  
 Largiturq̄, decus. Quamquam nil Cesaris almi  
 Moribus indubito: mitem natura creavit,  
 Nec facilem in pœnas, promptumq̄, ignoscere culpæ,  
 Ingentesq̄, animos cautis supponere frenis.  
 Non simulata loquor, dubiaq̄, accommoda sorti,  
 Sidera vos testor, quique omnia numine complex  
 Rerum æterne Pater, pro Cesare cuncta parata  
 En adsum facere atque pati: non arctius ipse  
 Styris amet, quantisq̄, Carinthia montibus exit.  
 Assere me, ò invicta manus, turbataq̄, tandem,  
 Iura mihi, & verum Dominum, sed redde faventem.  
 Non aliena peto, per connubialia jura*

Saxo-



PANEGYRICUS.

\* Saxonibus sum mista tuis: tecum una coluntur  
 Sacra mihi, ritus uni: quid certius unquam  
 Religionem liget populos & jungat amore?  
 Quam niveæ luces, & festi tempora fati  
 Elysiis fluxere meis, quum Saganarura  
 HENRICI, \* Natiq; pias venerata secures?  
 Tum didici primum cælestis semina verbi  
 Imbibere, & vanos Romæ contemnere ritus.  
 Iam majora dabis, si per te porrò tueri  
 Sacra accepta licet, si propugnata tot annos  
 Integra libertas, & jura antiqua manebunt.  
 Non te subtrahimus Patriæ: defendet utramque  
 Consiliumq; eademq; manus: tibi mille Pyracmon  
 Fulmina, mille enses, atque insuperabile ferrum,  
 Mulciber ipse dedit. Iam cui tot lecta virorum  
 Pectora belligeriq; Duces? quid divitis auri  
 Immensos memorem cumulos? superabitur illis  
 Tempestas opulenta Tagi, quantumq; coruscant  
 Pactoli pretiosa undæ. ne sperne precantem:  
 Stent geminæ atque uno vigeant sub numine gentes.  
 Finierat. lætâ tum majestate serenus  
 Insequitur Princeps: ô chara & semper amanda,  
 Nil insulto tibi, miseror magis; additus error  
 Omnibus; & cautæ possunt impingere mentes.

\* HENRICUS  
 enim GEOR-  
 GII Bohemo-  
 rum Regis fi-  
 lius, Dux  
 Munsterber-  
 gensis, conju-  
 gem duxit  
 ANNAM,  
 VILHEL-  
 MI III.  
 Marchionis  
 Misnia filii-  
 am. Sed & Il-  
 lustriss. Prin-  
 cept CARO-  
 LUS FRI-  
 DERICUS,  
 qui hered. ta-  
 rio jure hodie  
 eundem du-  
 catû obtinet,  
 ingens Silesia  
 sua columen  
 & decus, uxorem  
 habet  
 NN. Sereniss-  
 simi Principis  
 FRIDERICI  
 VILHEL-  
 MI Ducis  
 Saxonie filii  
 am. &c.  
 \* MAURIC-  
 IUS, Electoris  
 & Ducis  
 Saxon. Fuit  
 enim Ducatû  
 Saganensis  
 sub inclutorû  
 Saxonie Du-  
 cum imperio  
 ab ann. Chri-  
 sti 1472. usq;  
 ad an. 1549.



PANEGYRICUS.

At culpam mox nosse suam, crimenq, fateri  
 Ingeni res plena animi est. desiste timorem,  
 Caesar amicus erit: tu tantum mente fideli  
 (Nec dubito) te subde jugo: si pectore recto  
 Ipse colo timeoq, Deum, salva omnia jura,  
 Religioq, tibi, me vindice, tutamanebit.  
 Continuo capitis turres excrescere visa  
 In majus, subitiq, in tempora serpere flores,  
 Afflariq, oculi nympha meliore juventa.  
 Ipsa videbatur leto Dea candida vultu,  
 Qua ferri cohibet rabiem, blandaq, quietis  
 Otia largitur populis, & divite cornu  
 Munera didit orans cunctorum seta bonorum,  
 Delabi caelo, Lygiamq, invisere gentem.  
 At contra infesto fugiens procul agmine Mavors,  
 Quem Furor, & Rabies, praecepsq, Audacia, & Ira,  
 Et Metus, & malesuada Fames, & turpis Egestas,  
 Horrenda visu formae, comitantur euntem,  
 Edonas hiemes repetebat, & horrida diri  
 Regna Geta, ac lactis si qua potator equini  
 Tartarus arva colit Scythico praetentus Imauo.  
 Iam virides iterum saltus, & vallis opaca  
 Frigora, & arguto blanditos murmure rivos  
 Pastor habet, pecoriq, suo solatia monstrat.

Ipsi



PANEGYRICUS.

Ipsi etiam leti spe diuitem rura coloni  
 Desolata aduent, festis discursibus urbes,  
 Atque hilari feruent plausu: nil buccina terret  
 Bella mouens, miti proleat gaudia cantu,  
 Committitq; choros, paci q; adsuescere gaudet.  
 Iam pietas, iam cana Fides, iam lata reuertit  
 Iustitia, & terras iterum dignata tueri  
 Suppressas leges expulsaq; iura reducit.

O summos transgressse Duces, quid patria reddet?  
 Quid tibi pro tanto persoluet munere Caesar?  
 Ingentes titulos, & rari nomen honoris?  
 An fasces populosq; novos? debere putabunt,  
 Soluerunt quacunque tibi regnum omne superstat  
 Qui regnare iubet. \* Latie Stilichona Camena  
 Tam bello quam pace bonum, Dominisq; fidelem,  
 Commemorant: Geticum sed quam pacauerat Istrum,  
 Quum populos Aurora tuos, Libyamq; rebellem,  
 Reddideratq; orbi pacem, Romanaq; iura,  
 Defecit (pro! turpe) senex, invadereq; iuit  
 Quis defensor erat sceptris. Tu fidus in omne  
 Tempus eris, nec te regnandi sacra cupido  
 Unquam adiget vetitas velle aspirare coronas.

Nunc age Cecropios proceres, nunc Thesea fortem,  
 Miltiadenq; augustum, & libertatis amantes

Har-

\* CL.  
 CLAUDI  
 ANUS Po-  
 eta, incom-  
 parabilis  
 prudentiae  
 scriptor.



PANEGYRICUS.

Harmodios, gens Graia tace: tuq; ardua Roma  
 Fabricios Curiosq; Et nomina magna Camilli,  
 Scipiadasq; Duces nunc desine, versa potentis  
 Regna quibus Pœni, Romanoq; emula honori  
 Mœnia, laurigero sub sidera ferre triumpho.  
 Deme animos in bella truces, deme ossibus albas  
 Fusorum segetes, Et tinctos cadibus amnes.  
 Noster major erit, qui sic sine sanguine vincit,  
 Et ferro scit habere modum. non vera potestas  
 Quæ per damna venit, multo Et sancita cruore est:  
 Hic mihi major erit, populis qui gaudet adesse,  
 Et fatum donare novum, qui fœderis auctor,  
 Et servare palam cupidus subrepat in alta  
 Pectora, Et in mentes hominum scit ponere fasces.  
 Non sic exuvia, detractaq; ab hostibus arma,  
 Auratiq; axes, spoliisq; onerata superbis  
 Fercula, palmataq; toga: non laurea victrix,  
 Non auri radiatus honor per tempora florens,  
 Tam decorant, quàm quæ servatis civibus olim  
 Querna corona data est. Gaudete ò secula nostra  
 Vos etiam dabitis venturo exempla nepoti,  
 Magnaq; perpetuis referetis nomina fastis.  
 At tu post varios belli pacisq; labores  
 In tua regna redi, dupliciq; insignis honore,

Inde



Inde triumphales laurus, hinc civica monstrans  
 Præmia, votiva succede penatibus aula,  
 Spes populi votumq; tui. Prædivite cultu  
 Florida, & arcanum vultu testata calorem,  
 Tendit in occursum Conjux, æquanda Deabus  
 Quas Samos, Idaliumq;, aut quordã incerta vagansq;  
 Delos habet, nec non docta celebratis Athenæ.  
 Iam roseas expansa manus in sancta verendi  
 Oscula prorumpit Domini, colloq; refusa  
 Heret inexpletum castosq;, accendit amores.  
 At mater grandæva procul damnata potentis  
 Stat voti, & largo conturbans gaudia fletu  
 Se sibi concedit: talis turrita Cybelle,  
 (Seu post Phlegreas acies, & Pelion Ossæ  
 Impositum trepido pacem donaret Olympo;  
 Seu Phaethonteos tardaret fulmine currus,  
 Grassantesq; aliis compesceret ignibus ignes)  
 Aspexit metuitq;, Iovem. Plauditq;, vovetq;  
 Iam tua Dresda tibi, totoq; exultat honore  
 Magnum iterũ complexa Ducem: sic Ismara Bacchũ  
 Caspia quum tigris vehit, & Pangaæ resultant  
 Culmina: sic Clarios Phœbo penetrante recessus  
 Parnassi sonat omnis apex, letumq;, remugit  
 Castalia, & docti despumant largius amnes.

H

Rex



Rex hominum atq; eterne Pater, sub numine cuius  
 Mundus it, & certâ torquentur sidera lege:  
 Et tu par patri, totoq; antiquior ævo  
 Mundi Naie, salus: tuq; ô qui jungis utrumq;  
 Spiritus, immittens cœlestem in pectora amorem;  
 Tam rarum servate Ducem, meliore metallo  
 Secula qui instaurare parat, fessiq; senectam  
 Innovat imperii, priscumq; reducit honorem.  
 Cujus vindiciis Ecclesia tuta triumphat,  
 Et virtus antiqua redit, cœloq; relicto  
 Dia redux hominum catus Astrea revisit.  
 Sera sit illa dies & nostris tardior annis,  
 Quæ tantum eripiat terris decus. Omnis in illo  
 Spes nobis posita est: nondum undique bella quiesunt,  
 Turbat adhuc Dacus, nondum Thrax supplicat acer,  
 Eoæ restant laurus. Hunc Phasidos amnis,  
 Et quanta Euxinum constringunt littora Pontum,  
 Submissaq; tremens veneretur Bosphorus undâ.



AD



BUCHNERO DRESDENSE

Post. Post. Publ.



duplici ferro exarmatus in hostem  
orant flavam rubea lecta comam  
num notat ille ducem, cui tradidit  
m; rubeam gentis avicus honor.





IMAGO  
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI  
PRINCIPIS,  
DN. JOHANNIS GEORGII,  
SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ ET  
MONTIUM DUCIS:  
S. Rom. Imp. Præf. Præt. & Electoris &c.

P. P.

*Hieroglyphicè representata*

ab

AUGUSTO BUCHNERO DRESDENSE

Poet. Prof. Publ.



Uis Leo sic duplici ferro exarmatus in hostem,  
Cui decorant flavam rutea ferta comam?  
Magnanimum notat ille ducem, cui tradidit enses  
Imperium; rutam gentis avitus honor.  
Quid gemino innuitur cornu? pax publica floret:  
*Quid vulicet hoc tuta est vindice Religio.*  
Quid super appictum signat venerabile nomen?  
Tuti illo utpopuli, tutus ita ipse **DEO** est.  
Sed querna unde venit clypeis intexta corona?  
Dat **SERVATORI SLESIA** grata suo.  
**SERENISS.<sup>æ</sup> EJUS CELSITUD.**

*Boni ominis faustaq; gratulationis*

*ergo*

*summissime D.D.D.*

AUCTOR.

WITTEBERGÆ imprimebat CHRISTIANUS THAM, ANNO CHRISTI 1732 XXII.



ANGUSTO B

S  
S  
T  
A  
A  
S

Impetr  
Magnam  
Cui deo  
Lis Leo sig







AD

SERENISS. SAXONIÆ  
ELECTOREM &c.

**D**um tibi servatæ persolvunt præmia gentes,  
Proque salute tuâ debita vota litant:  
Nos quoque, sed nullo Musarum imbuta lepore,  
Portamus sacris munera parva tuis.  
Fer vatem Dux magne tuum, pariterque mereri  
Carmina te, pariter posse & amare proba.  
Quâ Poenum vicit dextrâ, quâ mœnia Didûs  
Subruit, hac Ennî Scipio volvit opus.  
Ipse etiam, magnos cui non fatis orbis in ausûs,  
Et Jove nequicquam progenitore tumens,  
Sæpe armorum inter strepitus strepitusq; tubarum  
Pieriis potuit rite vacare modis.  
Te quoque non quercus tantum, non laurea cingat;  
Fiat & ex hederis nostra corona tibi.

A. B.

*PLINIUS PANEGYRICO*  
*Trajani.*

Laudabilia multa etiam mali faciunt, ipse laudari nisi  
optimus non potest.

F I N I S.

me



RICUS

AD  
SERENISS. SAXONIAE  
ELECTOREM &c.

Unum scilicet per solent permissa genti  
Proque salu tua debita vota licet  
Nos quoque, sed nullo Mularum impudat labor,  
Portamus sacris muneris parva tuis.  
Ter vatem Dux magne tuum, pariterque macti  
Camina te, pariter posse & amare probr.  
Qua Pecunia vicit dextra, qua moenia Didis  
Subruit, hac Enni scipio voluit opus.  
Ipe etiam, magnos cui non satis orbis in astra  
Et Jove nequidquam progignitor tuncas,  
Saepe armorum inter strepitus strepitus; tubarum.  
Pietas potuit tunc & acare modis.  
Te quoque non quicquid tantum, non laurea cingat,  
Fiat & ex hederis nostra corona tibi.

A. B.

PLINIUS PANEGRICO

Trajanus

Laudabilia multa etiam mali facimus, ipse laudari nisi  
optimus non potest

F I N I S

M C 1011





mir v n n u

si  
D  
Nos

Ter va  
C  
Qua P  
si  
Iple cr  
E  
Sapc  
P  
Tep  
F

Land

ULB Halle 3  
 004 801 415  










munerib  
fi superb  
ma cupie  
ne & vic  
mirificè  
stas quoc  
tenta est  
es hafce  
mur, for  
igitur SE  
clement  
tot afflic  
tò exhila  
accipe.  
quod leg  
tamen op  
legantur.



Quod  
i maxi-  
e flumi-  
ris aquâ  
a Maje-  
nâ con-  
r tenu-  
cloqua-  
as. Age  
INE, ac  
u, quo  
as fubi-  
uid est  
dimus,  
bimus  
us, qui  
ernum  
Nu-

